

1.  
2.  
3.  
3.  
3.  
3.  
3.  
3.  
Y



1799.

1. Tenck, Christianus Gallicus: De ratione descendendi contraxer-  
sias circa portionem statubarsiam confaguum.
2. Bochnerus, Jo. Samuel Fridericus: Si iteratione Torturae  
rata vel irrita
- 3<sup>a</sup> Bochnerus, Jo. Samuel Fridericus: Leger succedenti  
consuetae ad juris justitiaeque normam examinabatur.
- 3<sup>b</sup> Bochnerus, Andrus Elias: De commodis et incommodis  
equitationis in hominum sanitatem redundantibus.
- 3<sup>c</sup> Bochnerus, Andrus Elias: De insomniis et signis in  
medicina.
- 3<sup>d</sup> Bochnerus, Andrus Elias: De praeservandis morbis  
pulmonum tam communibus, quam propriis
- 3<sup>e</sup> Bochnerus, Andrus Elias: De aetiois nervosorum morborum  
inde oriundis
4. Anier, Georgus Fridericus: De voluptate cum religione  
conjuncta

1749.

5a, b, c Reuterus, Franci Harbini: De effecta querelae  
inoffensio testamenti juxta ordinem edicti successorii insti-  
tutae inhibita auct querentis. 3 thess. 1749 et 1765

6. Hebrizius, Franci Fossurien: Systema philosophiae  
generativissimae


7. Unger, Franci Augustus: De nova metaphysices cum  
medicina generativissimae.

17/12











C. 30. 11. 1787

DISSERTATIO IURIDICA  
DE  
RATIONE DECIDENDI  
CONTROVERSAS  
SIVE  
PORTIONEM STATUTARIA  
CIVILITATUM

IOANNE SAMUELE FRIDERICO  
BOEHMERO Icto

COMITE PALATINO CAESAREO  
POTENTISSIMO PRYSIAE REGI A CONSILIO AVULI  
PROFESS. IURIS ORDINARIO  
ACADEMIAE IURIDICAE H. T. DECANO

CHRISTOPH. G. IENKE

HALLAE SALICAE  
IMPRIMEBAT IOAN. FRIDERIC. GRYNERTVS



P. 408.  
E  
I



25

Q. D. B. P. Pra. 33. num. 23

DISSERTATIO INAUGURALIS IURIDICA  
DE

ITERATIONE TORTVRÆ  
RATA VEL IRRITA

1749 2

QVAM

PRÆSIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO ATQVE CONSVLTISSIMO

2

DOMINO

IO. SAMVELE FRIDERICO

BÖHNERO IC.

COMITE PALATINO CÆSAREO POTENTISSIMO BORVSSIE  
REGI A CONSILIIIS AVLICIS IURIS PROFESSORE PV-  
BLICO ORDINARIO ATQVE FACVLTATIS  
IURIDICÆ H. T. DECANO

PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE

HONORIBVS DOCTORALIBVS  
CONSEQVENDIS

DIE XXIII. MAII MDCCXLIX.

PVBLCIE DEFENDET

ADOLPHVS FRIDERICVS MVSCATE,

HENSCHLEBIENS. SAX. THVRINGVS

ET

IURIS PRACTICVS.

HALÆ - MAGDEBVRGICÆ,

Imprimebat CHRISTOPHORVS PETRVS FRANCK, UNIV. TTT.



P. 500.



D. D. L. N.  
DISSERTATIO IN ACADEMIA IURIDICA

ITERATIONE TORVARAE  
RATA VEL RITA

ANNO MDCCLXXIII  
MENSE APRILII

IO. SAMUELIS FRIDERICI

COMITIS PALATINI SACCARIAE ET SACCARIAE

PROFESSORIS ACADEMIAE IURIDICAE

IN TORVARAE ACADEMIA IURIDICA

PROFESSORIS

ET ACADEMICI

HONORABILIS

CONSENSU

ACADEMIAE


ADHUC VIVENTIS

ACADEMIAE IURIDICAE

IN TORVARAE ACADEMIA IURIDICA

PROFESSORIS

ET ACADEMICI



DOCTISSIMO  
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

PRAESES



*legans thema in hac tua  
dissertatione elegisti quod  
examine publico submitte-  
res, pro consequendis honoribus do-  
ctoralibus. Pertinet enim hoc ad iu-  
risprudentiam pragmaticam & usum  
insignem in casibus vulgo occurren-  
tibus producere potest. Quumque  
tumet ipse vitam practicam elegeris  
optimum, ea in re cepisti consilium, &  
melius egisti quam ii, qui inania &  
nul-*

nullius, prorsus usus in cathedra sæpe defendere ac proponere solent. Neque tamen hac sola ratione laudem mereris, verum etiam ideo, quod omnino profeceris in studio iuridico, & solidissimas doctrinas præceptorum tuorum cum fructu exceperis, ut duplex examen, quod apud nos subiisti, abunde docuit. Gratulor tibi hosce profectus & præmia doctoralia tibi ab ordino nostro iam decreta. Faxit Deus, ut tibi omnia ex voto succedant, de quo eo minus dubito, si semper conscientie ratione habita ad negotia forensia accesseris.  
Vale dabam e Musæo Halæ  
d. XX. Mai. MDCCXLIX.





DISSERTATIO INAUGVRALIS  
IVRIDICA  
DE  
ITERATIONE TORTVRAE  
RATA VEL IRRITA.

§. I.

**D**iu multumque inter se disceptarunt Jcti de usu Tortura ex  
& moralitate torturæ, quorum quidam illam ratione iu-  
e foris christianorum prorsus *proscribere*, & dicioꝝ  
nescio qua labe infamare tentarunt, alii ite- germaniæ  
rum eius usum praxinque *defendere*, laudare, exulare  
& commendare verbosa oratione conati sunt. Quotquot nequit.  
huic liti se immiserunt non tam ad usum iudicioꝝ in  
mania doctrinas suas applicarunt, quam in *abstracto* de hac  
lite litteraria iudicarunt, idque potissimum egerunt, ut ex  
rationibus rerum publicarum *communibus*, quid expediat, vel  
non, exponerent. Vnde iudicia *germanica* tangere non  
potuit, quicquid usui eiusdem oppositum, quia proprio &  
pecu-

A

peculiari iure reguntur. Licet enim inter maiores per plura secula usum torturæ ignoraverint iudicia in germania, eiusque praxis potissimum ex principiis iuris *romani* & *canonici* pedetentim invaluerit: adeoque per plura secula res publica germanica sine ea steterit salva; hodie tamen post *constitutionem carolinam* lege imperiali firmatam iudicibus tortura tanquam medium eruendi confessionem a contumacibus præscripta, & usu forensi probata, ut *hypothetice* inania & nullius prorsus usus sint, quæ in utramque partem hac de re proponuntur, quum iudices legibus stringantur, & *secundum* illas, non de illis in casibus vulgo occurrentibus iudicare teneantur. Interim tamen non dissimulo, *suspectam* mihi semper visam eorum philosophiam, qui torturam proscribere voluerunt, eo quod relegando illam, *aliam* medicinam contra homines extreme contumaces, de gravissimis delictis tamen gravatos, & quos pro merito puniri rationum publicarum exigit, pro eruenda confessione producere, vel novum medium, ex quo via ad applicationem *poenarum* inprimis capitalium parari posset, suggerere omiserint. Postulant enim rationes *processus criminalis*, quo hodie utimur, ut reus tantum *confessus* vel rite *convictus* ad poenam rapiatur. Neutrum si obtineri potest, de poena inprimis *capitali* salva iustitia nil definiendum. Stante ergo *processu hodierno*, tortura optimum & inevitabile constituit remedium confessionem eliciendi, quod si tollis, habebis semper causam *indecisam*, & ad maiora facinora perpetranda alios invitantem. Solum *iuramentum purgatorium* fini a legibus præscripto obtinendo non sufficit, & sua natura ita comparatum est, ut ob metum *perfidiae*, & eludendæ disciplinæ publicæ *rarissime* applicandum sit. Acerbiori ergo medio opus adversus eos, quorum animus *induratus* ob mores prorsus corruptos flecti nequit ad *ingenuam* veritatis manifestationem, sine qua in defectu *convictionis* iudex semper *dubius* hæere debet, quale in frangenti consilium capiendum. *Alterutrum* enim fieri oportet, ut aut ex *iudicis* solum.



lis dirum mortis supplicium in delictis gravioribus definiat, aut omnino profligatis pœnis capitalibus semper & ubique de *arbitrariis* pœnis sollicitus sit. Vtrumque *periculosum*, non dicam *saluti* publicæ inimicum est, si recte rationes subducantur. Posterius quippe *fiduciam* in maleferiatis, & ad delinquendum quasi natis, excitat, grassandi in famam, vitam, bona concivium, auget propositum delinquendi, & sic *securitatem* publicam in manifestum discrimen conicit, dum *malum* pœnis *arbitrariis* innexum ad reprimendam *malitiam* non ubique efficax est. Prius vero cum favore *innocentiæ* pugnat & tam fragile est, ut nesciam, an magis expediat *vitam* ob argumenta, quæ fallere possunt, reis adimere, quam corporis cruciatum pro indaganda veritate facti definire. Hæc considerationes sine dubio in causa fuerunt, cur in foris nostris hætenus usus torturæ legibus moribusque probatus, & *medius* visum fuerit leniori periculo eos, qui ob delictum delati hoc modo sublicere, quam ad *desperatum* & cum omni humanitatis sensu pugnans remedium, capitis pœnas gravatis imponendi, confugere.

## §. II.

Et si vero usus torturæ legibus stabilitus firmatusque sit, Non tamen facile applicanda non ideo tamen iudicem in applicatione cruciatuum *indiscretum* esse decet. Quod si in ulla re *caute* agendum, & cum applicanda deliberato iudicio procedendum, sane in usu *torturæ* hocce monitum sedulo attendendum, ne inter nimium & parum peccetur. Ipsi *Icti* romani hoc principio intriti *torturam* rem *fragilem*, & quæ sæpe *difficilem* *tristemque exitum habere potest*, docuerunt l. i. §. 23. *de quaest.* quamvis negandum non sit, eos magis pro indole cruciatuum tum receptorum, & absque *indiciis* miseris applicatorum, ita ratiocinatos fuisse. Rectius *Carolus V.* in sua constitutione hocce propugnavit principium, & ad eam quoque *torturam*, quam ipse certis *cancellis* inclusit, ac ad *indicia proxima* restrinxit, sedulo applicavit, ut fere omnes ad doctrinam de

tortura pertinentes articuli testantur. Hinc enim est, quod ante omnia *corpus delicti* eruendum, sine hoc vero confessionem per dolores extortam irritam pronunciat *art. VI. XXI.* Hinc anxia de *indiciis* ad præparandam torturam proposita doctrina *art. XXIV. seq.* Hinc valde commendata verborum *admonitio* antequam ad executionem procedatur *art. XLVI.* Hinc *suggestiones* certo respectu probatae *art. XLVII.* Hinc exacta circa formanda *interrogatoria*, sub cruciatibus proferenda, instructio *art. XLVIII. seq.* Hinc denique modus *executionis* ad regulas humanitatis compositus *art. LVIII.* Quæ omnia satis indicio sunt, quantum curæ cordique fuerit Carolo V. *usus torturæ*, & quanta cum præcautione ubique antevertere abusus, simulque barbaram, quæ hic facile sese exerere potest, sæviendi licentiam exulem esse voluerit. Atque his principiis inutriti JCTi nostri eam regulariter, & sic non facile applicandam propugnant. BRUNNEM. de *proc. inquisit. c. VIII. n. 1.*

### S. III.

melto minus regulariter repetenda

Quæ rationes in genere nos admonent, ne plus iusto extendatur tortura eadem quoque cohibent, illius *promissuam reiterationem*, ex qua non minus, quam quovis alio cruciatu ingens præiudicium reo obvenire potest. Immo repetitio tormentorum tanto *maiores* diligentiam exigit, quanto minus per antecedentes cruciatu finem intentum fuisse obtentum constat, & sic actum *frustraneum* imminere verisimile est. Sunt utique, pro quorum iustitia evidentes militant rationes, repetendæ torturæ casus, sed dantur quoque, quibus nulla prorsus solida suffragatur *ratio*, aut qui, quoties admittendi, certis cancellis, constringi debent. Est itaque tortura iterata modo *rata* & legibus probata, modo *irrita* seu salva iustitia vix defendenda. De quo ut eo evidentiùs constet periculum hoc specimine faciam ut de singulis casibus distincte agam, & paucis exquiram, an & quatenus *torturæ repetitio* verbis & ra-

ratiō legis carolinæ conveniat nec ne? Aut enim repetitio moram facit supplicio ob unum *idemque*, aut ob *diversum* delictum. De utraque specie casus proponam, imprimis tamen de *priori* sollicitus ero, in qua cum de reo *confitente*, tum *revocante* agendum.

## §. IV.

Per repetitionem torture intelligo hic actum, quo iudex Per repetitionem torture denuo interrogat, & a primordiis lanienam inchoat. Hanc notionem repetitioni in sensu forensi tribuere solemus, ipsa lege carolina non obscure probatam, ita ut quoties de ista repetitione torture quid disponitur, talis subintelligatur, quam modo descripsi. Enim vero contingere potest, ut executione prioris torture interrupta, reus denuo quidem tortori tradatur, sed, omissis gradibus iam antea applicatis, tantum *pergere* iubeatur carnifex in cruciatibus, priori sententia comprehensis, hætenus vero non applicatis. Quem actum, etsi in sensu grammatico recte dixeris *repetitionem*, tamen pragmatici *continuationem* vocant, & optimo iure a priore distinguunt ob iura peculiararia eidem propria. Illa enim maioris, hæc minoris præiudicii est, & prouti ex *præiudicio* reo imminente tota tortura æstimanda, ita hæc species ab invicem sollicitè sunt distinguendæ. In illa *pollicum compressio* cum *fiducialis* quibuscum actus torture inchoatur, iterum iterumque applicatur; in hac ratio instrumentorum iam applicatorum non habetur, sed in eo gradu, in quo ante substitit carnifex, denuo continuat cruciatus. Videamus itaque quando *plena tormentorum iteratio* locum habere possit?

## §. V.

Et PRIMO quidem ad alteram torturam transgredi poterit iudex, quoties reus eandem antea iam *sustinuit*, confiteri veritatem detrectavit, & in *negando* persistit, nihilominus *prima* tortura desun-

Quis est de-  
nuo grava-  
tur de eo-  
dem deli-  
cto,

nus tamen contra eundem nova eiusdem criminis indicia pos-  
tea emerferunt. Quo sane casu quum priora per antece-  
dentes cruciatus tantum sint elisa, iustum utique & æquum  
est, ut *novorum* omnino ratio habeatur & effectus ordinarius,  
qui in *torturæ* applicatione latitat, iis tribuatur. Neque id  
tantum obtinet, si *mox*, & re adhuc integra gravata opinio  
iterata vice reum opprimit, verum etiam si diu post *sententi-  
am absolutoriam* iam latam, reumque e carcerum custodia di-  
missum emergit, quum nequidem sententia absolutoria con-  
tra nova indicia effectum *rei iudicatæ* habeat, & perpetuæ  
veritatis regula sit, exceptionem rei iudicatæ cessare, quoties  
ex *diversa* prorsus *caussa* lis olim decisa denuo agitur *tot. tit.  
de except. rei iudic.* quicquid BERLICHIVS p. I. dec. XL. n. 2.  
ob c. 6. X. de accus. in contrarium scripserit, cui plene satis-  
fecit LEYS. ad ff. spec. CCCCLXX. med. IV. Quod si ex  
sententia eorum, qui cum ZANGERO de quæst. c. V. n. II. re-  
um sustentis tormentis *ab instantia* absolvendum esse censent,  
iudicandum, tanto minus iteratio processus & torturæ dubio  
caret, quum per hanc *caussa* non tam decidatur, quam *suspen-  
datur*, & sic semper iterata suscitatio locum habere possit.  
Sed nolo hunc errorem errare, probe gnarus *torturam* cum  
indiciis *insufficientibus*, qualia in absoluteione ab instantia sup-  
ponuntur, pugnare, & *contraditionem* involvere; *tormenta*  
*dictare* ob indicia proxima, iis autem frustra applicatis reum  
ex formula: *in Mangel hintlänglicher Anzeigung* absolvere  
velle, quod posterius utique fieri deberet, si *ab instantia* tan-  
tum absolveretur. Rectius reus hoc casu sub formula: *von*  
*angestelter Inquisition* absolvitur, & rei iudicatæ exceptionis  
*hactenus* sit particeps, ea vero non obstant ex aliis, *novisque*  
*caussis* inquisitio ex integro agitur, & sic quæ processui cri-  
minali propria est *tortura*, denuo applicari potest. Probat  
ergo thesin præsertim non tantum ratio iuris, verum non ob-  
scure confirmat *art. LVIII.* licet verbis paulo *generalioribus*  
& indefinitis *viel, oft.* Consentunt quoque rerum crimina-  
lium scriptores pragmatici CARPLOVIVS *pr. crim. qu. CXXV.*  
n. XLIII.

n. XLIII. BRUNNEM. cit. l. in f. FARINAC. qu. XXXVIII.  
n. LXXXVIII. GRIEN. de repet. torm. reo inficiante §. IX.

## §. VI.

Requiritur tamen 1) ut indicia sint profus nova, hoc est, ab iis, quorum causa prior tortura applicata, specie profus distincta. Priorum enim utpote cruciatibus *elisorum* nulla habetur ratio. LANGER de quæst. C. V. n. 12. STEPHAN. ad art. LVIII. n. 2. usque adeo, ut ne quidem eadem *novis probationibus*, testibusque instructa esse sufficiat, quandoquidem his non obstantibus eadem manent, quæ antea fuerunt, & sic vim rei iudicatae connexam habent. OLDEK. T. IV. Obs. XLIV. Fac reum ob confessionem extrajudicalem delicti duobus testibus munitam ad *torturam* condemnatum, in contumacia coram iudicio perstitisse, postea alios testes de hac confessione deponere, eandem iurato firmare; sane argumentum hoc casu emergens idem illud erit, quod antea fuerat, nec ad *novum* indicium trahi poterit. Præterea eadem 2) per se ad *torturam* sufficere, h. e. *proxima* esse, & rarissime fallere oportet. Quum enim prior tortura effectum suum habere debeat, & ideo ut dictum antecedentia pro *elisis* habeantur, per se fluit, ea nequidem cum *novis iungi* posse, adeoque nec eam probabilitatem sufficere, quæ ex *pristinis* & *novis coniunctim* sumtis alias tormenta producere apta est. Cui male arbitrium iudicis ex art. LVIII. opponit LEYSER de perpeff. torment. n. XV. quod contra *rationem iuris* ante allegatam non detorquendum, nec in casibus clare *haud* decisus in perniciem rei proferendum. Releganda itaque hic sunt indicia *remota*, nisi eorum tot prostant, quot *coniunctim* sumta effectum indicii *proximi* producant. arg. art. XXVII. C. C. C. Quidquid olim reo obiectum perinde ac si nunquam contigerit habendum, uniceque utrum circumstantiæ *novæ* *plerumque* crimen, quod inde elicitur, inferant, & rarissime fallant examinandum, quo demum reperto sine *iniuria*

non præci-  
se eviden-  
tiora prio-  
ribus.

juris rei processus denuo inchoari, & cruciatus ex integro applicari possunt. Utrum vero evidentiora pristinis iudiciis esse debeant, non omnino expeditum est. Si in castra ZANGRI C. V. n. XIV. RIVINI de effect. conf. super torment. §. XXXII. GRIBNERI de repet. torm. reo insicente §. IX. transeundum, utique maiora, & fortiora esse debent. Provocant citati auctores ad l. 18. §. 1. de quæst. cuius verba hæc sunt: *Reus evidentioribus argumentis oppressus repeti in quæstionem potest, maxime si in tormenta animum corpusque induravit.* Dubito autem utrum inde theseos præcedentis veritas evinci possit. Evidentiora enim Jcto sunt non graviora, sed illa ipsa, quæ natura ac indoles torturæ in genere requirit, & opponuntur generalibus levioribus, seu ut hodie loquimur remotis. Neque etiam ratio solida in contrarium allegari potest, quum quod sua natura in aliis causis salva iustitia efficax est ad excusandos diros cruciatus, non possit non idoneum esse ad repetitionem eorundem defendendam, quandoquidem repetitio sit revera nova tortura, & solo nomine a priori differat: Multo magis vim faciunt verbis, qui evidentiora de coniunctione novorum cum prioribus cum LEYSERO de perpeff. torment. n. XVII. accipiunt, quia ista coniunctio rationi iuris repugnat, ut antea ostensum. Neque CARPZOVIVS cit. l. audiendus, qui simpliciter verba de diversis interpretatur, recte notatus a BRUNNEMANNO cit. l. dum inter diversitatem & evidentiam planum est discrimen, & sic præter diversa proxima indicia requiruntur. Equidem in his non subsistit sed præterea innocentie præsumtionem, quæ ex antecedente tortura oritur, in partes vocat GRIBNER loc. cit. & cum odio repetendæ quæstionis coniungit. Verum parum concludit innocentia, cui denuo argumenta eaque noviora, ut hic supponimus, obstant, quin potius tanto fortior contra reum emergere videtur præsumtio fraudis, quanto maior est verisimilitudo ex conspiratione duorum indiciorum proximorum, quorum alterum priorem, alterum posteriorem torturam regit, orta. Omnium minime odium attentionem meretur, quod

quod mere *imaginarium*, & non magis ad iteratam quam primam torturam impediendam aptum est. Si quid odii *iterationi* vere inest, id sub nulla alia specie admitti potest, quam quod per *multiplicationem* facile in *excessum* abire potest. Is autem in præsentī specie eo minus metuendus, dum indicium proximum proximo succedit, & hoc ipso *petulantia* rei negantis, & torturam priorem eludentis non leviter firmatur; verifimilis petulantia autem *favorem* nullum meretur. Mæræ itaque petitiones principii sunt, quibus GRIBNERVS se commoveri passus est, ut *contrariam* sententiam defenderet cui salus publica & ratio promovendi vigorem disciplinæ publicæ contra præsumptivos legum violatores e diametro repugnât. Rectius in sola indicii novi *proximi* existentia subsistendum, nec quid amplius ad repetitionem tormentorum exigendum.

## §. VII.

Quam hætenus licitam *repetitionis* speciem exposui, Repeti-  
eam magis *ratio* & *analogia* iuris criminalis, quam distincta tur II. de-  
& clara *legis* dispositio sustinet. Pergo ad ALTERAM spe- prehensâ  
ciem ratæ tormentorum iterationis circa quam diserte fan- falsitate  
xit CAROLVS V. art. LV. ut eo minor dubitandi ratio de confessioni-  
eadem iudicem turbare possit, quamquam etiam *ratio* legum nis sub pri-  
criminalium sufficiens non deficiat, ex qua *sola* de eius iusti- oribus cru-  
tia quis convinci potest. Pertinet ea ad *reum*, sub tormen- ciatibus e-  
tis delictum, super quo excruciatuſ erat, distincte, & circum- dita.  
stantialiter *confitentem*, quoties inquisitione in veritatem eius,  
quod confessus est, instituta, *falsitas* confessionis postea depre-  
henditur. Tunc inquam *denuo* reum excruciantum iubet,  
donec talem confessionem, ex qua sententia *definitiva* ferri  
potest, ediderit. Postquam enim Imperator art. LIV. iudi-  
cem de diligenti *circumstantiarum* a reo relatarum *indagatio-  
ne* admonuerat, tandem art. LV. in hunc modum edicit: *Er-  
findet sich aber in obgemeldeter Erkundigung, daß die bekanten*  
B Um-

Umstände, nicht wahr wären, solche Unwahrheit soll man den Gefangenen fürhalten, ihm mit ernstlichen Worten darum bestrafen, und mag ihn alsdenn mit peinlicher Frage, auch zum andernmahl angreifen, damit er die angezeigten Umstände recht und mit Wahrheit anzeige. Denn ie zu Zeiten die Schuldigen die Umstände der Missethat unwahrlich anzeigen, und vermeinen sie wollen sich damit unschuldig machen, so die Erkundigung nicht wahr erfunden worden.

## §. VIII.

Unde se-  
dulo in ve-  
ritatem cir-  
cumstan-  
tiarum a  
reo relata-  
rum inqui-  
rendum.

Fundamentum præsentis sanctionis, ut totus contextus docet in iustissimo principio quærendum, ex quo confessio delicti æque, ut alia probatio, ceu aiunt, *luce meridiana clarior* esse, sine ea vero pœna delicti *prorsus* exulare debet. Jubeat hoc evidentissima ratio, ne innocens, quod non meruit, supplicium experiatur, cui satis fieri aliter nequit, quam sollicito *examine* eius, quod *confessione* continetur, instituto, qua de re elegantem exercitationem conscripsit HEINECCIUS *de relig. judicant. circa reorum confess.* Dum veritatem *factorum* indagatiori subiicit legislator *circumstantias* criminis consummati intelligit, non ipsum *factum* delicti *immediatum* in se consideratum, quod *corpus delicti* audit. Hoc enim ante torturam sub *introitu* processus criminalis liquidum esse debet *art. VI. C. C. C.* Utrum vero reus id perfecerit, & is *veritatem* confessus fuerit, ex *circumstantiarum* una cum delicto enarratarum veritate dependet, ut quemadmodum *falsitate* harum reperta ad reum falso *de se* confessum, recte concluditur; ita vice versa circumstantiis post explorationem *in facto* deprehensis, delictum a reo *vere* commissum, eiusque *confessionem* veram esse, fortissimum argumentum strui possit. Hoc ratiocinio utitur ipse CAROLVS V. tum hoc, tum *art. LVII.* ibi: *nachdem der Grund peinlicher Frage drauff stehet*, tum denique *art. LX.* Equidem secundum *art. XX.* indicia reum gravantia fidem confessioni conciliare dicuntur, usque adeo  
ut



ut sine his confessionis in ferenda sententia vix ratio habenda sit. Verum id non eo fine dispositum, ut quasi eo *solo* principio veritas reatus ad effectum *pœnæ* sustineri possit, sed ut tantum fundamentum adesset, reum super reatu constituendi, de quo solummodo sollicitus est imperator *cit. art.* Quum vero hoc factò secuta confessio nihilominus *lubrica* maneat, nec tantam *fidem*, quanta a legibus pro imponendo supplicio exigitur semper coniunctam habeat, & vel una facti species, quam refert ANN. ROBERT *rer. iudic. LI. CIV.* quantum illa, quoties *extra* tormenta edita, multo magis quæ *sub iisdem* facta, iudicem decipere possit in innocentem grafandi ostendat: summa utique ratio indagacionem omnium a reo inter confitendum relatarum circumstantiarum a iudice exigitur. Agnovit hancce iustitiam TERTULLIANVS, qui ad *Nat. L. I. C. II. soletis*, inquit *accusatos non temere condemnare, sed si de homicidio fatetur, non statim confesso eo nomen homicidæ, dispunkta causa est, aut satiata cognitio, confessis difficile creditis, verum insuper consequentia exigitis, quoties cædem egerit, quibus telis, quibus in locis, quibus sociis, receptatoribus, ne quid omnino mali hominis deliteat, aut desit aliquid instruendæ ad sententiam veritati.* Quibus non obest quod nemo in se *ipsum* iniurius contra *propriam* salutem, delictum, semper malum aliquod annexum habens, confiteri præsumatur. Nam talis præsumtio de eo tantum prædicari potest, qui *sedato & deliberato* animo loquitur, non quem quasi vincitum habent, aut huc vel illuc trahere solent mentis *perturbationes* in foro criminali sæpissime emergentes, adeoque dignæ, ut quantum ex illis in una quaque causa quid occurrat, vel non, amore *veritatis* investigetur. Alios quippe status *valeudinaris* vel *delirans*, tædium *vitæ, salutis* desperatio, onus *arvis* alieni, reique *familiaris* angustia, *valeudinis* adversæ impatientia, alios iterum *vitæ æternæ* in-tempestivum desiderium incitat, ut *conmati* sui ipsius *amoris* parum memores *fingant* delictum aliquod, cum suis circumstantiis, idque pure, & contra omnem *veritatem* fateantur. Comprobant veritatem dictorum innumera, quæ hodie ob-

via reorum *exempla*, & in nulla fere delicti specie *frequentiora* quam in *præsumpto infanticidio*, quod mulierculæ tam *artificiose* connexis circumstantiis bis aut ter se commisisse fatentur, diligentiori autem *examine* habito, malo *hysterico* laborare, & sola *immaginatione* eius, quod vere non contigit, occæcæte deprehenduntur. Quo frequentiores itaque voces *inanes* habemus cognitæ, eo impensius de removendis illis veritatis *impedimentis* laborandum. Eoque simul collimant leges civiles, quando confessiones reorum pro *exploratis* facinoribus non haberi perhibent, si nulla *probatio religionem iudicantis instruit*, aut quoties non *semper* ultroneis confessionibus fidem habendam esse, teste *VLPIANO l. I. §. 17. Et f. de quæst.* admonent. Suffragantur his denique rerum criminalium commentatores *GVALZIN rer. crim. def. XXXII. L. II. BERSOLD. Conf. LIV.* aliique.

### §. IX.

Quomodo  
id fiat?

Quæ quum ita sint iudex operam dare tenetur, undequaque explorare, utrum id quod de consumatione delicti *distincte* narratur, quoad omnes *circumstantias* veritati respondeat, ut, utrum confessio a *veritate delicti* repetenda constet, an illa ideo tantum facta, ut reus *dolores*, vel malum *immaginarium* subterfugeret. Harum circumstantiarum quædam incurrunt *insensu*, quædam ab *artis peritia* pendent; illarum investigationi inservit inspectio *ocularis*, examen *testium*, veluti si quis rem *furtivam*, aut *partum* necatum alicubi occultasse, apud aliquem cum *rapina* delituisse, ibidem res ablatas *vendidisse*, falsam *monetam* expendisse, partum *adulterinum* edidisse, asserit. De his vero consulendi in arte periti, qui de *vulneribus* secundum rei confessionem illatis, *veni* porrecti qualitate & quantitate, qua reus socium se interemisse asseverat, secundum regulas *artis* deponant, scriptumque testimonium ad acta offerant, necesse est *BRVNNEM. de proc. crim. C. VIII. M. v. n. LXXII.* Temperat

perat tamen imperator istam investigationem verbis: *so viel zu Gewisheit der Wahrheit dienlich ist*, tum ut nimiam curiositatem, quæ interdum magis obest, quam prodest, cohiberet, iudicemque, ne immoretur iis, quæ delicti *panam* nec augment nec minuunt, nec ad maiorem *certitudinem* reapse quid conferunt, admoneret, teste CLASENIO *ad h. a. in f.* tum ut explorationem circumstantiarum paululum constringeret. Quædam enim delicta vestigia relinquunt, & facti *permanentis* audiunt, quibus inspectio ocularis facillime inservit; quædam facti *transientis* vocantur, & nulla signa relinquunt, quorum investigatio *difficillima* plerumque, sæpe quoque *impossibilis* est. Unde hic subsistendum in eo *verisimilitudinis* gradu, quem indoles rei prodit, nexusque confessionis cum iudiciis reum gravantibus confirmat CARPZ. *pr. crim. qu. CXXVI. n. XV.* KRESS *ad art. LV.* ceu ordinarie in homicidiis & parricidiis *clanculum* commissis contingit.

## §. X.

Hoc diligentiori examine habito si circumstantiæ in Quo gradu facto haud deprehenduntur, obiurgandus de mendacio secundum mentem huius articuli est reus, verbis seriis, & contumacia perdurante tandem *denuo* torquendus, ut *veriora* confiteatur. Quid? quod illusione post iteratam torturam rursus emergente, reus etiam ad *tertiam* raptari possit, si *strictam* iuris rationem sequimur, nisi quod *prudentiæ* regulæ ab ea, quoties prima & secunda effectum fortiri non potuit, iudicem merito avocent & prohibeant, ne *actum* agat, quod utique metuendum in reo, semel iterumque iudicium responsionibus suis circumveniente, quo ipso fit, ut loco *tertiæ* repetitionis in dubio ad *extraordinariam* pœnam condemnandus sit. De gradu cruciatuum & utrum *eidem*, quem antea expertus, an *asperiori* sit subiiciendus, nil monet Imperator. Neque tamen ego dubito torturam, quæ gradum primum vix excessit, *intendi* posse, tum quod indicia eundem gravantia

tia nondum sint *elisa*, quod aliter quam *superatis* cruciatibus fieri nequit; tum quod reus enarrando circumstantias falsas *mendacio* se polluat, & ita suspiciones adversus denuo se augeat. STEPHANI *ad h. art.*

## §. XI.

Quid si mutationem contigisse coniter?

His inquam præceptis constat praxis iteratæ torturæ in specie proposita. Non tamen excludendum pro intermittenda repetitione prudens iudicis *arbitrium*, ut is perpendat, an non factò *tertiè*, vel alio *casu* circumstantiæ indicatæ *mutari*, in se autem veritati reapse convenire potuerint. Ubi quidem BEYERO, KRESSIO & LUDOVICO *adh. a.* facile concesserim, *verisimilius* statui, rem *furtivam* secundum confessionem in loco quodam occultatam, ab alio *ereptam*, vel a sociis re integra ablatam, quam *infantem* humatum, cuius cadaver nemini prodest, e terra *effossum* esse. Interim non eo minus in hac posteriori specie *mutatio* contingere, rei confessio autem *vera* esse potest, ut æque hic, ac ibi non nunquam *iteratio* torturæ quiescere debeat. Quid enim si in loco *omnium* usibus, imprimis vero *pecoribus*, suisque exposito terræ mandatus dicatur cadaver, ibidemque vestigia disiectæ & *convulsæ* terræ appareant? nonne *verisimiliter* mutatio *gregi pecorum* tribuitur? Quid si *consanguinei* vel affines *infamæ* supplicium rei incarcerati metuentes, imminens *familiæ* præiudicium translatione cadaveris antevertere, causamque hoc medio tantopere confundere tentaverint, ut ob defectum *corporis delicti* tragicum supplicium, incio reo, impedirent. His similibusve casibus, quoties reus *confessione* tenaciter inhæret, & eiusmodi *mutati* status præsumptiones emergunt, non facile ad *cruciatum* denuo trahendus, sed potius ad dignum confessione sua *supplicium* condemnandus est, ne ob nimiam iudicis *curiositatem* delictum impunitum maneat. Difficilior inquisitio est circa delicta *facti transeuntis*, quorum veritas ex sola *confessione* dependet, quæque sua natura exploratio

rationem circumstantiarum, quarum deest vestigium non admittunt. Si CARPZOVIVM audiamus qu. CXXVII. n. XVI. reum sola extraordinaria poena affici oportet, quasi in summa corporis delicti incertitudine. Verum quemadmodum generatim in foro criminali mathematica veritas frustra expectatur, iudice LEYSERO ad ff. sp. DLX. med. IV. V. & verisimilitudo summa, ubi natura delicti per se id suadet, omne omnino punctum fert, ita fatius cum KRESSIO ad art. LV. ex nexu, seu con- & disconvenientia indiciorum reum de delicto gravantium, cum circumstantiis confessione elicitis, utrum & quantum mox poena confessioni respondens, an vero tortura potius dictanda sit, iudicandum.

## §. XII.

Haecenus de reo confitente & in confessione perseverante. Sequitur ut de revocante dispiciamus, occasione cuius Iteratus III  
tortura ob  
revocatio-  
nem con-  
fessionis.  
TERTIA species iteratae torture emergit, quae manifeste fundatur in art. LVII. Regula ibidem proposita planissima, aequae ac iustissima est, qua reum sub tormentis crimen distincte confitentem, postea tamen denuo revocantem iterata vice sub fiduculis examinandum, & ad constantem confessionem compellendum iubet: his verbis: So der Gefangene der vorbekannten Missethat laugnet, und doch der Argwohn als vorstehet, vor Augen ware, so soll man ihn wieder in Gefangniß führen, und weiter mit peinlicher Frage gegen ihn handeln, und doch mit Erfahrung der Umstände, als vorstehet, in allwege steifig seyn, nachdem der Grund peinlicher Frag drauf siehet. Sed nec exceptio subiecta aequitate sua destituitur, quae reum ante omnia defensione sua audiendum praecipit in verbis sequentibus: Es ware denn, daß der Gefangene solche Ursachen seines Laugnens fürwendet, dadurch der Richter bewegt würde, zu glauben, daß der Gefangene solche Bekantniß aus Irrsalthan, alsdann man der Richter denselben Gefangenen zu Ausführung und Beweisung solches Irrsals zulassen. Utraque propositio ad certos

-certos limites reducenda, ne inter nimium & parum peccetur.

## §. XIII.

Quid sit  
revocatio?

*Revocare dicitur, qui, quod antea distincte confessus erat delictum, postea negat; sive simpliciter, sive sub certis circumstantiis; sive post intervallum, sive in continenti eodemque termino. Nihil enim agunt, qui hoc posteriori casu magis emendationem, quam revocationem, & variationem sibi immaginantur, ideo, quia, quæ in continenti sunt inesse videntur, ita rationes subducente STEPHANO ad art. LVIII. n. V. Quid enim tempus intermedium revocationi addere, aut detrahere poterit? Dependet illa tota quanta est a declaratione pristinae assertioni contraria, & sive emendetur, sive restringatur, sive prorsus negetur, reapse tollitur cum effectibus inde pendentibus. Et qui discrimen hic fingunt, non tam quaestionis principalis causa, an tum iteranda sit tortura, id faciunt, quandoquidem iterationem utroque casu admittunt; quam ut modum repetitionis, ex quo vel omnes gradus repetendi, vel eorum tantum ratio habenda, quos nondum antea expertus est reus, hoc ipso definiant. Solum CARPZOVIVM qu. CXXVI. n. LXI. excipio, qui ex nova & plane inaudita philosophia reum in casu emendationis prorsus absolvendum esse censet, eoque ipso maleferiatis medium eludendi omnem confessionem legitime extortam subministrat, qua in re dicam ei scripsit FALKNER de reo variante C. V. §. VI. Eiusdem conditionis cum revocante is habetur, qui in termino ratificationis non categorice loquitur, verbisque ambiguis publicare malignam, intentionem gestit, aut prorsus responsonem detrestat, & sic dum utroque modo legitimam ratificationem effugere tentat, in eadem causa est, ac si simpliciter revocasset, consequenter eodem modo denuo torquendus. CARPL. c. l. n. LXXIII. KAYS. pr. crim. p. 821. Illustr. Cancell. IVST. HENNING. BÖHMER de contumac. non respond. C. II. §. f.*

§. XIV.

## §. XIV.

Posita eiusmodi revocatione transitus fit ad ulteriores cruciatus pro exquirenda *veritate* delicti, quam reus subvertit, iudex autem ob vim *indiciorum* indagare potest & tene-  
 tur. Summa ratione nititur ea sententia, si perpendo cum *voluntatem* legislatoris expressam, tum circumstantiam *torturæ* secundum gradum a priori *sententia* definitum *nondum* consummatæ, quæ argumento est, indicia *præcedentia* hætenus non fuisse elisa, sed ius cum iis connexum, veritatem scilicet sub doloribus eruendi, adhuc saluum, ac illibatum existere. Quid? quod *variatio* rei confitentis mox iterum revocantis *malam* causam arguat, & mendacii suspicionem contineat, adeoque *novum* indicium adversus reum producat. Taceo delicta alioquin *impunita* mansura, si reus in revocatione *salutem* quæ-  
 rere & hoc modo totum processum eludere posset. BEYER ad art. LVII. posit. XVIII. Provocant plerique cum eodem præterea ad *semiplenam probationem* in confessione latitan-  
 tem; sed perperam, & forsam ex malo intellectu art. XXX, qui de *extraiudiciali* confessione loquitur, eoque ipso magis *seriam* intentionem confitentis supponit, quam qualem in præsentis specie, ob sævos *cruciatus* valde suspectam, augurari licet. Quicquid tamen sit, magna *cautione* & prudentia in *applicatione* opus, ne sub prætextu *salutis* publicæ *favori* reorum quicquam detrahatur, quod nonnunquam fieri posset, si antea proposita doctrina tam crude accipienda esset. Fac enim 1) indicia quibus *prior* tortura innitebatur per se non adeo *concludere*. Fac 2) circumstantias paululum esse *muta-*  
*tas*, detecta earum, quibus olim *magna* gravandi vis non si-  
 tamen ita-  
 ne ratione inesse credebatur, *falsitate*, vel *indifferentia*, per  
 supervenientem testimonii *inhabilitatem*, aut *revocationem*. Hæc  
 & similia *notabilem* rationem & mutationem continent, quæ  
 iudicem movere potest, ut a tormentorum *iteratione* absti-  
 neat, & vel de *leviori* gradu, vel de solo *purgatorio* sollici-  
 tus sit, ut non diffidetur GRIBNER cit. l. §. XIII. Quod  
 enim

Cur hoc  
 casu iteran-  
 da tortura?

aliquando  
 tamen ita-  
 ratio cessat

enim ad *primam* speciem attinet, facillime contingere potest, ut *incuria*, aut *imperitia* eius, qui olim sententiam tulit, *indicia non concludentia* pro proximis assumpta, ex iisque *tortura* decreta, postea vero, dum super *revocatione* confessionis deliberatur, defectus in *nexu legali* deprehendatur, quo sane casu expedit *errorem* potius corrigere, & loco *iteratæ torture* tale medium eruendi decernere, quod *ab initio* indicii tantum respondebat, & sæpe *purgatorium* non excedit, quo sensu accipio WERNHERVM p. VI. obs. CCCVII. vid. BLVML. h. a. n. V. Nam *prior* sententia non potest esse norma *posterioris* & sola vis *concludendi*, quæ indicii inesse deprehenditur, *præsens* decretum moderatur, siquidem non *exemplis*, sed *legibus* iudicandum. Idem quoque de *altera* specie dicendum, qua *indicia* olim secundum *acta* & *probata* quidem *proxima*, ob *circumstantias supervenientes* talia esse *deserunt*, quia semper secundum *statum præsentis causæ*, sententia ferenda, usque adeo, ut si etiam ob *corporis* conditionem rei *inpræsentiarum* sine periculo *tortura* decerni nequit, ei *territio* vel *iuramentum purgatorium* imponendum sit. Neque quod *variationi* inesse creditur *indicium*, eiusmodi *temperamentum* turbat, sed *terminos habiles* supponit, & tunc demum *allegari* valide potest, quum *perdurante* priorum *indiciorum efficacia* reus nulla *innocentiæ causæ* instructus, quod sub tormentis confessus, iterum *revocat*. Eoque, fallor, aut ipse legislator respexit, qui a) in hoc articulo *expresse* supponit: *dass doch der Argwohn als vorsethet vor Augen wäre*, & præterea β) *circumstantiarum* antecedentium, & *subsequentium* *explorationem* iudici sollicitè ac *iterata* vice commendat, hac addita *ratione*: *nachdem der Grund peinlicher Frage darauf bestehet*.

## §. XV.

Inprimis  
si iusta  
caussa re-  
vocationis  
allegatur.

Omniū maxime id evincit, quam in fine huius articuli ipse addit *imperator*, *restrictio*, ex qua *reum iustas causas* *revocationis* *allegare*, & *confessionis falsitatem* *demonstrare* *per-*



permittit, mediante *defensione* pro avertenda ulteriori torture, eam non permissurus si *indistincte* cum revocatione iteratam torturam connexisset. Nititur autem ista exceptio summa *æquitate*. Si enim iudex *ex officio* ob emergentes circumstantias, quæ vel fundamentum prioris torture destruant, vel alias *iterationi* repugnant, a regula h. a. proposita recedere, substituto leniori remedio, ut antea dictum, tenetur: omnium maxime reus audiendus, quoties de eiusmodi causis *instruere* iudicem paratus est, quod ideo moneo, ut appareat, maximas nugas agere, qui cum GRAMMAT. *Conf. criu. XL. n. XIX. PAR. DE PVTEO de syndic. in verb. tortus L. I. n. XXIX.* erroris allegationem & probationem prorsus *reprobant*. Fateor, plerumque in *sumum* abire defensiones reorum, hunc in finem compositas, & læpissime hancce indulgentiam iniustam *moram* facere definitioni processus criminalis, eo quod asyllum in *doloribus* quærunt, nec tamen verisimilibus rationibus innocentiae sese tueri possunt. Sed danda aliqua mora *innocentiæ* probationi, tantopere privilegiatæ, & in casu *dubio*, ne *clementiæ* regulæ concidant, expectandum, quid istac defensione præstiturus sit reus. Quænam autem sint *causæ iustæ* revocationis, specificè ob cricumstantiarum variationem, & mixturam definiri nequit, sed plerumque ab *arbitrio* iudicis pendet. Saltim articulus noster causam *specificam* non refert, & frustra agunt, qui cum BRUNNEM. *Quæ sint iustæ causæ?* *gründl. Anweisung zum Inquis. Proces. c. X. §. pen.* præcise ad *dolorem*, vel cum FROELICHIO *in comment. ad C.C.C. lib. IV. Tit. III. n. IX.* unice ad *terrorem*, vel cum CARPZOVIO *cit. l. n. XLVIII.* tantum ad *errorem* confitentis provocant, & occasione vocis: *Irrsahl* sibi dubia formant inania. Licet enim verbum istoc *errorem* proprie notet, non ideo tamen, qui aliam substernunt explicationem, id negant, quin potius errorem ex *dolore* vel *terrore*, veluti suo principio repetunt, quia error non facilius obrepit, quam quoties ob *impatientiam* doloris, vel insignem *terrorem*, quis *sibi conscius* in responsionibus esse desinit. Præterea totus contextus docet, *erroris* hic alle-

allegati non aliam esse rationem, quam ut inde mendacii suspicio a revocatione removeatur, & contra de confessionis falsitate iudici fides fiat. Hinc recte GRIBNERVS *cit. l. §.* textum de *falsæ confessionis* persuasione in genere capit, undequaque demum argumentum *suasorium* petatur, adeo ut etiam favore defensionis verisimilia argumenta hunc in finem admittat FROEL. *cit. l. n. VIII.* Falsam dico confessionem intuitu rei, qui eo defensionem plerumque dirigit. Vt enim *recapse* falsa demonstretur, præcise opus non est, nec a Carolo præcipitur, qui potius in genere motiva ad confessionis errorem iudici suadendum desiderat. Qua ratione mallem verba de *suspecta* confessione accipere, qualis est, quæ, licet vera esse possit, tamen *inclinat* in falsitatem ac non sine *specie* cum veritate pugnat. Et doloris quidem causam præterere, deque ea iudici fidem facere, omnium *difficillimum* est, nisi confessionem cum *possibilitate* pugnare reus verisimiliter ostenderit, uti occasione casus notabilis ad facultatem huius loci transmissi reculit *Dn. Præses*, ubi reus *monstruosam* venærem cum equa exercuisse in tormentis falsus erat, sed defensor confessionis revocationem his rationibus impugnaverit *weil 1) Inquisit von kleiner Statur, die Stute hingegen ungleich höher gewesen, und ohne einem Schemel er nicht hinan reichen können 2) die Stute zur Zeit der angeblich getriebenen Unzucht nicht roffig gewesen, mithin dergleichen, als Inquisit bekanntlich unternommen, dem Ansehen nicht gelitten haben kan.* Qui enim in ea causa fuit, ut ad vas equinum penetrare non potuit, omnino immiffionem membri feminisque *mentitum* fuisse oportet. Idem de *terrore* dicendum, cuius demonstratione defungitur reus, quoties se tempore delicti *dormivisse*, aut alio in loco fuisse probaverit. GRANZ *de def. reor. C. V. M. I. §. III. art. IX. p. 621.* Denique *error*, etsi in facto proprio vix probabilis sit, obrepere tamen ei potest, qui cædis in *turba* commissæ bona fide se *autorem* existimat, post institutam *collationem* vulneris cum telo de *falsa* persuasione convincitur. IDEM *n. 717.* aut quem *interrogatio* iudicis decepit, ut ipsius *mentem*

tem non rite perceperit, & hoc modo contra propriam *intentionem* quid affirmaverit, qualem speciem refert IDEM p. II. p. 124. Nam non tantum *aquivoca*, verum etiam *prolixiore*, & captum rei superante quaestione, non nunquam *confundi* potest reus, ut b. f. falsa confiteatur, de quo iudicum abusu non immerito conqueritur KRESS. h. a. §. IV. Immo quum confessionem *suspectam* fecisse sufficiat, plures aliae allegationes reo in tali specie prodesse poterunt, veluti si ad *suggestionem* iudicis, *impunitatem* spondentis, facta confessio FROEL. cit. l. n. X. si *excessus* in torture executione admissus BLUMI. n. V. quo probato iuramentum purgatorium in locum iteratae torture surrogat WERNH. p. VII. obs. CXXXIV. imprimis vero si circumstantiae sphae praecedenti expositae occurrunt vid. DONDORFF. de revocat. conf. torm. ex tort. §. XLIV. seq.

## §. XVI.

Uti vero in his similibusque speciebus vix *ratam* torture *iterationem* existimo; ita e contra illis cessantibus, vel non probatis, verbis articuli intrepide inhæreo. Vbi tamen denuo crucem interpretibus fixit quaestio, utrum absque *novis* indiciis ad hanc repetitionem procurrendum sit? Mihi *affirmativa* omni dubio carere videtur, quia ipsi revocationi temerariae *novum* indicium inest, & mendacii suspicio eum non potest non sequi, qui *gravatus*, postea *confessus*, mox, sui immemor, reatum declinare *revocatione* studet, quod certe ex *malitia*, & metu *pœnae*, sed contra *veritatem* rei factum censetur. Deinde *antecedentia* indicia, quae demum sustentis tormentis eliduntur, ob intercedentem confessionem non fuere *purgata*. Quae ergo causae antea ad eruendam per torturam veritatem *sufficere* credebantur, eadem quoque ad iterationem sufficientem fundamentum constituunt. CARPZOV. qu. CXXVI. n. XLIX. Magis dubium, an nova tortura *intendi*, vel *remitti* debeat? Si BRUNNEMANNVM de proc. inquis. LVIII. n. LXXXVIII. au- vel tortura  
dis, potius gradus *moderandus* erit; sin *novum* indicium, ex pra- intendi  
sum- possit

sumto mendacio desumtum spectas, *intendi* posse videtur. Neutrum *temere* admittendum, aut reiiciendum, sed *arbitrio* iudicis relinquendum, quid *æquitati* pro diversis circumstantiis conveniens fuerit. Saltem *in dubio* cruciatus ob solam *variationem* intendere non expedit, quamdiu malitiæ & temeritatis inter priores cruciatus fortissima haud emergunt momenta. Immo *facilius* in remissionem inclinabit iudex, si reus antea *satis* fatigatus fuerit cruciatibus vel alia *circa priora* indicia emergant *dubia*. Imprimis circa iterationem videndum, utrum in *continenti*, an post temporis *intervallum* revocaverit? Illo casu potius cruciatus secundum tenorem sententiæ prioris *continuandi*, quia quæ eodem termino contra reum suscipiuntur, potius pro *uno actu continuato* habenda sunt, sive in loco torturæ revocaverit, sive paulo post, ubi assessores iudicii in loco *iudicii* adhuc commorantur, dum terminus adhuc durat, res adhuc *integra* est, & sic sine *mora* ad veteriora fieri potest progressus, donec sententiæ satisfactum.

*Dn. PRAESES Elem. iurispr. cr. S. I. §. CCXL.* Hoc vero, quum iteratio *novam* eamque distinctam torturam producat, omnino iuris esse credo, ut a *pollicum compressione*, non demum, uti *CARPZOVIVS n. LXVII.* putat, a fideculis fiat exordium, quandoquidem nulla ratio apparet, cur quæ *prima* vice ad primordia quæstionis relata, *altera* vice omittenda sint, ut recte contra *CARPZOVIVM* rationes subducatur *FALKNER de reo variante pag. 30.*

### §. XVII.

Num ter-  
tia vice ite-  
randa tor-  
tura?

Quod de *secunda* tortura monitum, ob rationis paritatem ad *tertiam*, quam mores in se adhuc probant, merito applicandum, quoties reum altera vice denuo revocasse, contingerit. Quia enim *pœna* promerita per indirectum eluditur, nec tamen iudex pro ea irroganda ad tertiam torturam pergere prohibetur, sed a quarta demum excluditur, consequens est, ut posita facultate tertia vice omnem torturam repetendi de eius usu, & applicatione, in tali specie non sit dubitandum.

dum. Hac vero frustra applicata, fatius esse vulgo creditur a cruciatibus desistendi, ne in *lanienam* degenerant tormenta. Probant id mores, sola *humanitatis* ratione, quum leges *carolinæ* certum numerum repetitionis haud desiniverint, & hoc ipso JCros tacite provocarint, ut, quod ex æqui bonique regulis tandem finem ac modum habere debet, ita constringerent. Quid vero tandem accedente *tertia* revocatione iudici in frangenti agendum? Quæstio hæc non decisa, & ideo in *utramque* partem à DD. disputatur, quorum sententias, quasi in nucleo exhibuit GRIBNER *c. l.* cum WERNHERO *p. III. obs. CXXV. CXLV.* Sunt qui tertium confessos revocatione non obstante pœna ordinaria afficiunt FAB. in *C. tit. de quæst. def. XV. GOMEZ. var. resol. CXIII. n. XX.* quibus tamen rationes HUBERI ab efficacia *indiciorum* desumtæ parum suffragantur, per ea quæ iis opponit GRIBNER. *c. l.* speciem framen veri conciliat *geminata* confessio, cui alias magna vis inesse creditur, ut ne quidem ratificatione indigeat ex sententia BERGERI *El. crim. pag. 227.* Verum quia leges plenam *perseverantiam* confessionis desiderant, merito hic subfisto, dubitoque, utrum salvis illis durissimam sortem *pœnarum* capitalium, vel corporis afflictivarum, quibus *tortura* tantum respondet, reus subire possit. Alii eandem sententiam *temperant*, & cautelæ gratia, ut tertia confessio adhibito *notario* cum testibus consignetur, & hoc demum modo vis revocationi detrahatur. BERG. *cit. l. p. 256.* Quasi vero fides *notarii* sit maior quam *iudicialis*! Non parum iniurii sunt in iudices, qui ita ratiocinantur, & *fidem* actis *iudicialibus* coherrentem vacillantem reddere gestiunt. Est illa utique *plena* nec tamen revocationem impedit: quo itaque iure admittendum, eodem quoque reus adversus *consignationem notarii* audiendus. Alii *plenam* tertiæ torture applicationem, non obstante rei oblatione ad consistendum, urgent, ut hoc medio, ipsi *inopinato*, malicia frangatur, isque, nil sibi profutura maligna consilia, ita edificat. LYNK. *Det. CCXLV.* LVDovic. *proc. crim. C.IX. §. XLIII.* Sed dubito, an hæc impedi-

endæ revocationis *sufficiens* medicina fuerit, & an non nebulones, postquam vires restitutas, seque a manibus tortoris liberatos vident, potius subducere se supplicio per *revocationem*, quam illud, perseverando in confessione, ambire sint præoptaturi? Sola *præteriti* memoria tantæ non est efficaciam, ut cohibeat nebulones a revocando, quamdiu metus mali *futuri*, & iterandi torturam, eos in ordinem haud duxerit, id quod tamen post *tertiam* torturam deficit, & desicere, maleferiati optime norunt. Ergo emotæ mentis fuisse oportet, si quos *conscientiæ* morsus nondum emendavit, confessionem inter istam lanienam editam postea rati haberent. Alii iterum iusto mitiores, prorsus revocantem *absolvunt*, quasi doloris impatientia, & sic *falsa* confessum. CRAVETTA *conf.* CCXVII. n. 3. BRUNNEM. CVIII. n. LXXXVI. Quid vero hac posita sententia aliud futurum est, quam ut maleferiatis *cautela* ad eludendam omnem pœnam suggeratur, quod ratio utilitatis publicæ vix patitur? Alii denique ad pœnam *extraordinariam* confugiunt, quorum sententia magis *æquitati* congruit, quia 1) hæc velut media est, qualis in casu *dubio*, nec deciso tanquam *mitior* præferenda, 2) reo non adeo *præiudicat*, qui sibi gratulari potest, quod vitam, cuius amissio imminebat, redemerit, nec 3) *saluti publicæ* multum detrahit, cui si non *plene*, aliquo tamen modo ita fatissit, imprimis quoties, uti hoc casu fieri solet, *perpetua custodia* vel *opere publico* cohibetur reus, ne impofterum securitatem publicam turbet. GRIBNER. *cit. l. §.* XXIV.

## §. XVIII.

IV. Tortura iteratur si prior factu iudicis non plene defunctus sit, quum per omnes secundum sententiæ tenorem non plene applicata. *QUARTA* species ad iterationem torturæ qualificata, tunc suo modo emergit, quoties gradus torturæ prioris dictatus *facto iudicis* non plene reo applicatus, sive quod reus *primum* non plene defunctus sit, quum per omnes secundum sententiæ tenorem torquendus fuisset; sive quod *aliquid*, non tamen id, super quo *gravatus*, & tortura decreta erat, confessus est, qualia consilia delin-

delinquentes vulgo callide capere solent, dum pro evitando mortis supplicio solatium in tali confessione, ex qua *arbitraria* poena tantum imminet, quaerunt, iudices incautos autem decipiunt, ut *quali quali* responsione contenti, executionem ulteriorem sistant. Est hic, quem iudices ita connivendo committunt, abusus, gravissimus, & non dicam *intempestivae clementiae* sed *imperitiae* argumentum, omni exceptione maius, quoties nebulonibus ea in re morem gerunt, & in eiusmodi *insufficiente* confessione acquiescunt, satis esse rati, si causa ita instruitur, ut vindictam *publicam* qualem qualem reus subire debeat. Facilius vana opinio veniam meretur, si de circumstantiis *saevum* mortis genus minantibus interrogatus reus, omisiss illis, tantum id, quod ad poenam *simplicem* capitis sufficit, confessus, a iudice dimissus est, quum ex sententia nonnullorum interpretum tum *longiore* examine & ulteriori tortura ad poenae executionem non progrediendum sit teste BODINO de *abus. tortur.* §. XII. & sic probabilis ratio in opinione quorundam interpretum fundata iudices excusat. Tum vero notam non effugiunt, si de capitali gravatum, circumstantias delictum *minuentes* recensere impune permittunt, veluti si reus *culpam* fatetur, non aequae ipsam delicti *confirmationem*, aut *minorem* quantitatem, ubi a *maiori* capitis supplicium dependet. Convenit potius tamdiu cruciatus sententia comprehensos continuare, donec ad *omnes* circumstantias interrogatoris comprehensas *affirmative* responderit, adeo vel *unica* negata, reus denuo scalae admovendus sit. De quacunque enim circumstantia interrogatur, eius sigillatim tanta *verisimilitudo* adesse censetur, quanta ad diros cruciatus opus est. Et quum pro iudice sententiam concipiente sit praesumptio, quod in aestimatione indiciorum *leges* non transgressus sit, ei, penes quem est *executio* sententiae, non potest non incumbere, ut non prius desistat, quam si secundum *voluntatem* illius, & tenorem *sententiae* confitetur. Hoc officio neglecto is quidem turpiter peccat, sed id vitium nec rei publicae praedicare, nec efficere potest, ut *veritas* supprimatur,

D

adeo-

adeoque nil reliquum est, quam ut reus, qui suomet facto per contumaciam sibi prospicere tentavit, denuo rigorem proeruenda veritate experiatur. Interim ne iudicis, quæ hic simul concurrunt, *imprudencia*, reo nimis sit iniuriosa, in hac specie autor essem, ut tortura magis *continuetur*, quam repetatur, & sic ii tantum cruciatus addantur, quos nondum applicatos constat, omiſſis *præluſis* a reo quondam sustentis, quemadmodum rationes subducit BERGER *æconom. iur. p. 1203. n. III.* Licet enim *melior* sit eius conditio qui, quæ eodem tempore subire debuit, per *intervallum* patitur; tamen imprudentia iudicis efficere nequit, ut bis eundem sentiat dolorem, quem iam sustinuit rite, ut recte sentit GRIEN. *cit. l. §. VIII.*

## §. XVIII.

¶ Tortura  
repetenda  
si reus delictum  
confessus  
de maiori  
sit suspen-  
sus.

Hoc iure utimur, si ob *unum idemque* delictum tortura iteranda. Quid vero si reus in confessione persistens, de alio *novo* delicto gravatus fuerit, num de hoc iterum *torquendus*, an confessus *pœnam* simpliciter subire debet? Ad *QUINTAM* speciem iterandæ torturæ hæc quæstio pertinet, circa cuius decisionem *tres* casus separandi sunt. *Primus* esto: si ob delictum confessione firmatum corporis afflictiva pœna ob *novum* emergens *capitalis* imminet. Hic sine dubio, *suspensa* pœna extraordinaria, reus quæstionibus subiiciendus, cum discrimen inter utriusque delicti pœnam sit adeo *notabile*, ut per illius executionem *finis*, quem hæc intendit, prorsus non possit dici obtentus, nec talis terror iniectus, qualis ad cohibendos alios ab eiusmodi delicto sufficit. Hinc salus publica, quæ *promerita* supplicia infligi iubet, fundatam causam præbet, utrum *graviorem* reus pœnam promeruerit, indagandi, non attento *decreto* iudicis ad pœnam extraordinariam iam directo. Quo iure enim post pœnam extraordinariam iam *applicatam*, ob emergens aliud delictum effugere torturam non potuit, eodem re adhuc *integra* efficere nequit, ut



ut veritas imminentis sceleris supprimatur, ipse vero poenam eius effugiat. Ad alterum refero: si æquale delictum emergit, puta si fur furtum capitale confessus de simili, vel alio æque capitali delicto gravatus, posterius negat. Tum licet CARPZOVIO qu. CXIX. n. LXX. concesserim in thesi, quod veritas delictorum omnino eruenda, & ob qualitates aggravantes ordinarie fidiculis locus sit; in hypothesi tamen cum eodem torturam ob emergens crimen probare nequeo, tum quod duplex capitale delictum regulariter poenam ordinariam non aggravet, sed idem supplicium, quod antea dictatum, detecta etiam postea veritate, reum comitetur, & sic labor frustraneus torquendo suscipiatur; tum quod poenæ capitalis executio finem indagandæ veritatis contineat, eumque satis compense; tum quod post investigationem alii non magis deterreantur, si eadem illa poena mortis, quæ antea imminebat, post veritatem utriusque detectam applicatur. Tertius casus esto: quum vel gravior poena capitalis ob novum crimen vel exasperatio prioris imminet, puta si gladio feriendus de latrocinio, parricidio, prodicione, vel alia circumstantia prius delictum aggravante suspectus sit, quo casu utique suspensa sententia iam lata, in veritatem inquirere opuserit, ne promeritam poenam effugiat, quod alias per indirectum fieret. Accedit quod alioquin nec terror obtineatur, quem ob cumulum criminum aliis iniici oportet. Hæ considerationes quò magis legibus conveniunt, eo minus sunt negligendæ in præiudicium salutis publicæ. Labor iudicis hic non est inanis, aut frustraneus uti quidem priori casu, sed maxima utilitate constat, quoties reus postea omnia ingenue fatetur. Falsum itaque est, quod dissentientes cum BODINO de abus. tort. §. XII. urgent, per poenæ capitalis executionem publico plene satis fieri, sufficientemque terrorem aliis iniici. Cerebrinum est, quod ab æquitate & misericordia sæpe intempestiva ducitur argumentum; lepidum vero quod a parcendis sumitur, vel a desperatione imminente, quorum in aliis casibus non habetur ratio, petitur ratiocinium. Hoc facilius concesserim,

rim, moderatam esse debere torturam, ipso CARPZOVIO iudice cit. l. n. LXXII. nec facile ad *tertiam* extendi posse, si post detectum *alterum* delictum denuo de novo reus insimulatur. Alioquin satius esse credo, *rigorem* sequi, quam *intempestiva* clementia delicta suppressere velle, uti recte sentit Cl. RIVIN. *spec. diff. an mort. reus denuo torment. sit subiiciendus* §. XX. seq.

## §. XX.

Iteratur VI  
pro correis  
eruedis.

Denique si pro *fociis* aut *correis* eruendis de se confessum diris cruciatibus subiicere iustum, *SEXTA* species iterandæ torturæ non potest non prodire. Sed plerisque crucem figere decisionem huius quæstionis video, ut ex traditis RIVINI cit. l. §. X. apparet. Quibus uti temere non contradixerim, habeo tamen, quod non sine specie iis opponi potest. Verum est, torturam hanc factum *alienum* tangere, omneque delictum, cui ea superstruitur, sola *contumacia* absolvi. Nihilo fecius tamen ad probandum rigorem cogor evidenti ratione motus, quod nequidem *testibus* imminente contumacia *tortura* remitti possit, revera autem focii etiam confitentes ad testimonium ferendum hoc modo provocentur. Quicquid sit, ultra *primum* gradum vix procedendum, quum idem temperamentum probent, qui testes contumaces huic lanienæ subiiciunt, teste TENZELIO  
*de tort. test.*



Halle, Diss.) 1743

ULB Halle


3


002 729 393



SB







Farbkarte #13

B.I.G.



D. B. V. Pra. 33. num. 23  
NAUGVRALIS IVRIDICA  
DE  
NE TORTVRÆ  
VEL IRRITA

1749 2

OVAM  
ÆSIDE  
IMO ATQVE CONSVLTISSIMO  
MINO  
LE FRIDERICO  
MERO IC.

AREO POTENTISSIMO BORVSSIÆ  
VVICIS IVRIS PROFESSORE PV-  
RIO ATQVE FACVLTATIS  
Æ H. T. DECANO

S IN VTROQVE IVRE  
DOCTORALIBVS  
SEQVENDIS

MAII MDCCXLIX.  
CE DEFENDET  
IDERICVS MVSCATE,  
NS. SAX. THVRINGVS  
ET  
PRACTICVS.

MAGDEBVRGICÆ,  
RVS PETRVS FRANCK, UNIV. TTT.

